



**R. P. Francisci Svarez, Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi, Et In Conimbricensi Academia Olim
Primarij Theologiae Professoris emeriti, Opvs De Triplici
Virtute Theologica, Fide, Spe, Et ...**

Suárez, Francisco

Mogvntiae, 1622

Sect. 3. Quid sit obiectum prophetiae gratiae gratis datae, & quaesit huius
nominis ratio?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93448](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93448)

nem, & completum illius vsum. Vnde cum Spiritus sancti opera perfecta sint, in ea perfectione datur per donum vniuersaliusque linguarum cognitio, quæ necessaria est ad finem à Spiritu S. intentum, & ad conuenientem quandam statum, seu perfectionem illius linguarum. Non est autem necessarium, vt detur semper exactissima perfectio, præcipue illa, quæ magis ad ornatum, quam ad vsum spectat. Sciendum præterea est, donum hoc posse habere latitudinem. Nā potest ad duas, vel tres, vel quatuor linguas extendi. Datur ergo in ea latitudine, quam Spiritus S. vult, & est necessaria fini eius. De Apostolis vero Augustin. in prologo libri de doctrina Christiana, scribit, omnium gentium linguis fuisse locutos, licet in actibus solum dicatur, Variis linguis esse loquutos prout Spiritus S. dabit eloqui illis.

9. De alia gratia, quæ est interpretatio sermonum, D. Thomas agendo de gratiis gratis datis in 2. 2. nihil prorsus docet. Solum Caietanus in proœmio questionis 171. obseruat hanc gratiam reuocari à Diuo Thoma ad eas, quæ in sermone consistunt. De qua tamen reductione Diuus Thomas, in tota questione 177. vbi de gratia sermonis tractat, nullam fecit mentionem, itaq; difficultas explicari solet hoc donum. Prima ergo scientia, seu modus exponendi, est consistere hanc gratiam in eo, vt qui vnam linguam, verbi gratia, Græcam solum intelligit, cum alterum hebraicè loquentem audit, possit loquentis sensum, & mentem perfecte alijs interpretari: hocq; illi dari per gratiam hanc. Ita sentit Hieronymus 1. ad Corinth. 12. clarius Chrysostomus, & Theodoretus ibid. fauet lectio Græca, quæ eiusmodi gratiam vocat interpretationem linguarum, non dicit sermonis: iuxta quam expositionem, aliud est loqui linguis: aliud interpretari linguam, quam nescis, siue eam audias siue scriptā legas: & est probabilis expositio, ac credibile tale donum interdum esse datum in primitiua Ecclesia: nam ita testantur antiquissimi illi Patres, & potuit esse interdum necessarium, vel saltem conueniens: videtur tamen tale donum conuenientius contineri sub dono linguarum: nam eiusdē rationis est, intelligere linguam atq; illa loqui: solūq; differunt tanquam perfectum, & imperfectum in eadem latitudine. Quod verò D. Catharin. 1. ad Cor. 12. indicat, donum interpretationis sermonum, ita dari interpretanti, vt tamen ipsemet non intelligat ea, quæ audit, vel interpretatur, & in hoc differre à dono linguarum, mihi non probatur, non quia sit prorsus impossibile, sed quia non apparet conueniens, neq; perfectæ motioni Spiritus S. accommodatum.

10. Est ergo secunda sententia, hanc gratiam non referri immediate ad ipsum idioma, & significationem vocis, sed ad sensum sententiarum, quæ profertur. Contingit enim quæpiam bene percipere significationes vocum alicuius linguæ, vel scripturæ, & tamen non percipere satis sensum, & mentem scribentis, vel loquentis. Quando ergo alicui, ex speciali Spiritus S. motione datur, vt ea, quæ legit, vè audit, ita bene intelligat, vt possit illa alijs interpretari, iuxta sensum loquentis, vel scribentis, tunc vere recipere dicitur gratiam interpretationis sermonum. Ita D. Thom. 1. 2. q. 111. art. 4. Et clarius lectione secunda in 1. ad Cor. 12. Cui addere possumus ex eodem 2. 2. q. 176. art. 2. ad 4. ad hoc donum, etiam deferuere, vt illud possidens interpretari apte nouerit quicquid est, tum in sermone, tum in scriptura obsecrum, siue propter rerum difficultatem, siue propter similitudines, & parabolas, aut interdum etiā, ob ipsarum vocum significationem, & difficultatē: non quia per tale donum cognoscatur primò significatio vocis: sed quia interdū significatio ipsa multiplex est, & ambigua, vel vsurpatio eius metaphorica, ideoq; ad hanc etiam gratiam pertinet ita dirigere intelligentiam hominis, vt possit conuenienter interpretari, quomodo, & ratione, hoc, vel illo in

Statu de Fide.

loco vox vsurpetur: & ita plane gratia hæc distinguitur à gratia linguarum, & alijs enumeratis. Tandem addere possumus eandem gratiam interpretationis, interdum dari, vt quis possit recte, ac prout expedit ad vtilitatem Ecclesiæ, sacram doctrinam, & Scripturam, ex vna lingua in aliam transferre. Hoc enim non semper assequuntur omnes, qui linguam aliquam intelligunt, & ita patet responsio ad dubium propositum in num. 6.

11. Est aliud dubium, An dictæ gratiæ dentur per modum actus, an etiam per modum habitus. Nam D. Th. vbi cumq; in genere loquitur de gratia gratis data, iudicat solum dari per modum actus, & fortasse frequenter ita accidit. Vnde quædam auxilia, quæ interdum dantur concionatoribus, vel etiam præceptoribus sacræ doctrinæ, vt conuenienter suis muneribus vtantur, ad has gratias spectant, & tamē non semper ea dantur, neq; semper in potestate hominis est, vt modo illo conuenienti. Dico nihilominus non repugnare, has gratias cōferri per modum habitus. Nā imprimis certum est Christum Dominum illas habuisse habitualiter. Et de Apostolis idē cōfesso quoad prædictas quinque gratias. Ac de dono linguarum non videtur dubium. Eadem autem est ratio de alijs quia eadē fere tunc erat omnium necessitas. Quod si quæras, quid sint tales gratiæ per modum habitus: per modum namq; actus satis constat esse Dei motiones actuales. Respondeo, mihi non videri esse proprios habitus à speciebus intelligibilibus distinctos, sed vel rerum, vel vocum species infusas, aut optimam earum dispositionem, ac ordinationem diuina virtute factam. Adiungere etiam possumus quasi habitualement alicuiusmodi Spiritus S. qui statuit semper hominem mouere, prout expedit ad talem muneris executionem.

12. Ex quibus præterea resoluitur dubium aliud, cum hæc omnia, ad quæ ordinatur dictæ gratiæ videantur posse fieri virtute naturali ingenij humani, præcipue illustrati fide, & donis Spiritus S. minime necessarias apparere. Respondeo enim ex dictis, & ex D. Th. 2. 2. q. 177. art. 1. ad 1. omnia hæc solum dari, vt perfectiori modo fiant, ex actiones, quæ humana industria fieri possunt. Vnde non oportet in his interuenire actus aliquos, vel habitus in substantia supernaturales, sed sufficiunt supernaturales in modo. Vltimo tandem resoluitur ex nouem gratiis gratis datis, quinque, quas exposuimus, ordinari ad conuenientem doctrinæ fidei expositionem: Quatuor verò alias dirigi ad fidei confirmationem: Duas quidem confirmare fidem efficiendo opera, quæ naturam superant, scil. operationem virtutum, & gratiam sanitatū, quæ iuxta supra dicta potius materialiter, quam formaliter afferunt. (De qua p̄inde gratia sanitatis nihil oportet in præsentī materia dicere, præter ea, q̄ de fide miraculorum diximus: nam quod reliquum erat nimirum. Quis sit modus efficiendi hæc miracula? in materia de Incarnat. & Sacramentis explicatur commodius.) Alias vero duas scil. prophetiam, & discretionem spirituum confirmare fidem reuelando occulta, quæ ratione naturali cognosci non possunt: & inter se etiam potius materialiter, quā formaliter differunt. Nā discretio spirituum quoddam genus prophetiæ est, de qua consequenter esset disputandum, si liceret per tempus. Ne tamen omnia prætermittere videamur, nonnulla de prophetia disputando tractabimus.

SECTIO III.

Quod sit obiectum prophetiæ gratiæ gratis datæ, & quæ sit huius nominis ratio.

Ex omnibus eiusmodi gratiis, quæ cum fide habent aliquam similitudinem, superest solum prophetiæ donum explicandum, vt ex fine præcedentis sectionis patet, ad quod etiam gratiam diffinitio

M

cretio

Concinit auctor in disp. 21. de Incarnat. sect. 2. in fin.

Dub. 1.

Habetur iam in to de Incarnat. disp. 11. & de Sacram. disp. 9.

Late exponitur in prologo 3. de gratia c. 5. nu. 16.

Ratio nomi-
nis prophete-
tiz.

creationis spirituum cum Diuo Thoma reuocabi-
nus, procedens autem in hac eadem metho-
do, sicut in fide. Est enim propheta quoddam ge-
nus cognitionis supernaturalis, cuius obiectum, &
habitus, nobis explicanda sunt. Sed prius ratio nomi-
nis, & multiplex eius significatio declaranda est,
de quo videri potest late Iansen. cap. 47. Concord.
& alij in Paulum 1. Corinth. 14. *Prophetia ergo nomen*
Græcum est à verbo προφητεω deductum, quod
multas habet significationes. Nam, & vaticinare, &
præfagire, & interpretari significat. Deductum autem
est verbum hoc à nomine προφητης, quod ipsum
Prophetam significat, hoc autem nomen à verbo
φημι, loquor, seu dico derivatum est; unde prophetia
prædictionem significat; & propheta eum, qui fu-
tura prædicit, ut Sanctus Gregorius notauit homil.
1. in Ezech. & D. Irenæus lib. 4. cap. 37. ubi propheta-
tiam definit. Eorum esse, quæ posterunt præsignificationē.
Idem Patres alij, infra citandi. Quæ deductio sine
dubio verior est, & magis propria, quam alia, ab
Isidoro tradita 7. Etymol. cap. 8. quæ vsus est D. Th.
in 2.2. quæst. 171. art. 1. ut scilicet prophetia dicatur à
προφω, & φωω, id est, apparitio. Nam hæc deductio,
neq; in lingua Græca habet fundamentum neq; con-
uenienter explicat nominis compositionem; præ-
ferim cum particulæ componentēs, in ea signifi-
catione apud Græcos non inueniantur; & prope enim non
προφω, sed ante, significat. Et φωω non apparitionem,
sed faciem seu lampada sonat. Quoniam vero futuro-
rum prædictio, eorumdem percognitionem suppo-
nit, & ab illa oritur, ideo prophetia nomen, non so-
lum prædictionem, sed etiam, & præcipue, ipsam
præcognitionem significat. Rursus, quia futurorum
cognitio occultissima est, extensum est vocabulum
ad significandum, non solum futurorum prædictio-
nem, sed etiam omnium rerum ita occultarum, ut
humana vi cognosci non possint, siue præterite sint,
siue præsentēs, & loco, aut tempore distantes, siue in
corde hominis latentes, ut Diuus Gregorius supra
notauit.

Primus nomi-
nis prophete-
tiz vsus.

2. Ex quibus intelligi possunt varij huius nomi-
nis *Prophetia* vsus, qui in Scriptura reperiuntur. Pri-
mo enim, & propriè quadam cognitio ex diuina
reuelatione indita, qua res occultissimæ alicui ma-
nifestantur, ut alij illas annunciet, prophetia dicitur:
Et hic est communior vsus huius vocis, præci-
pue apud prophetas in principio suorum librorum.
Ut Daniel. 9. *Impleatur visio, & prophetia.* Matth. 13. *ut*
compleatur in illis prophetia Isaiæ. Quamvis hæc prophe-
tia interdum peculiariter applicetur rerum futura-
rum contingentium cognitioni: interdum genera-
liter sumatur, ut se extendit ad omnia supernatura-
liter reuelata.

2. vsus.

3. Hinc secundo, quia omnia, quæ in Scriptura
continentur, spiritu diuino sunt scripta, illud gratie
donum, quod alicui datur, ut canonicè scribat, spi-
ritus prophetiz dicitur, & ipsa scriptura Canonica
vocatur prophetia: sic 2. Petri 1. *Habemus firmiorem*
propheticum sermonem.

3. vsus.

4. Hinc tertio sacre Scripturæ interpretatio vo-
catur prophetia, quia eodem spiritu fieri debet, quo
fuit ipsa conscripta. Quo modo intelligit Diuus
Thomas cum alijs locum Pauli Rom. 12. *Habentes do-*
nationes secundum gratiam, &c. Siue prophetiam secundum
rationem fidei, &c. Nam licet intelligi possit de dono
prophetiz propriè dictæ, quod in primitiua Eccle-
sia frequenter communicabatur, ut Chrysostom.
Ambros. & alij Paulum interpretantur; tamē prior
expositio videtur satis consentanea literę. Sic etiam
potest intelligi illud 1. ad Thessal. 5. *Prophetia nolite*
spemere. Et 1. ad Corinth. 14. *Volo autem vos loqui linguis,*
magis autem prophetare. id est, interpretari Scripturas,
& alios docere. Et infra, qui prophetat, Ecclesiam adifi-
cat, quem locum ita exponunt Patres. Ambros. Di-
uus Thom. & alij.

5. Imo D. Hieron. super id ad Ephes. 4. *Quosdam*
Prophetas, &c. Indicat in nouo Testamento nomen
propheta non significare eos, qui futura prædicunt,
sicut in veteri, sed qui infideles, & imperitos argu-
unt, atq; diiudicant, ut ipse dicit; sed quamuis for-
tasse frequentior sit hæc acceptio, quam prima in
nouo Testam. illa certè non est prætermissa: neq;
negandum, in nouo Testam. dari donum prophetie
proprie dictum. Nam prophetia in tertia acceptio-
ne, potius pertinet ad illam gratiam gratis datam,
quæ est interpretatio sermonum. Quin potius locum ad
Ephes. 4. *Quosdam prophetas,* alij communiter intelli-
gunt de ijs, qui proprie futurum prædicunt, & præ-
cognoscunt. Chrysost. ibid. Oecumen. 1. Cor. 8. qui
exemplum ponit in Agabo Act. 11. & quatuor filiab.
Philippi, Augustin. vero epist. 58. vtroq; modo intel-
ligi posse putat. In qua sententia sunt Ambr. Ansel.
& D. Th. ad Eph. 4. Unde quod Matt. 11. dicitur. *Lex,*
& propheta vsq; ad Ioannem, etiam ad litteram intelli-
gitur de prophetijs, quæ pertinent ad mysterium
Incarnat. non de ijs, quæ ad morum directionem
spectant, ut sentit D. Th. 2.2. q. 174. ar. 6. ad 2. Itaq;
licet hæc tertia acceptio frequentior sit in nouo Tes-
tam. tamen prima etiam reperitur in illo: sicut et-
iam è contra, quamuis prima sit frequentior in ve-
teri, aliquando tamen è tertia in vsu est, ut Prou. 19.
Cum propheta defecerit, dissipabitur populus. Placet autē
quibusdam, non quamcunq; sacre Scripturæ inter-
pretationē (etiam si spiritu diuino fiat) prophetiam
vocari à Paulo, sed illam specialiter, quæ est de pro-
phetijs rerum futurarū alijs reuelatarum: ita ut cō-
ueniens interpretatio alicuius prophetiz, siue com-
pletæ, siue complæxæ, ad spiritum prophetiz perti-
neat, & prophetia à Paulo vocetur, quæ videtur ef-
se sententia Ambrosii (si eius sunt Comment. in Paul.)
& D. Th. in id. 1. ad Cor. 11. *Omnis vir orans atq; prophe-*
tans, &c. Et est probabilior sententia.

6. Quarto translaturum est prophetiz nomē, præ-
cipue in veteri testamento ad significandum mini-
sterium cantandi Laudes, & Prophetas, in templo
Domini, quomodo exponit Lyra id Paralip. 15. ubi
David dicitur segregasse qui prophetarent in Cy-
tharis, & Psalterijs, quamuis Hebraei autem cum
ministri illi caneant instrumentis musicis, fieri su-
per eos spiritum Domini, ut & prophetarent, sicut
de Elifao dicitur 4. Regum 3. Hoc tamen non satis
constat. Unde illam quartam acceptionem intelli-
git Caieran. cum 1. Reg. 12. legitur infillisse spiritum
Domini in Saulem, & prophetaffe, motum videlicet
fuisse à Spiritu S. ut cum alijs canentibus diuinas
Laudes iungeretur, & caneret. Et ita forte intelli-
gendum est id. 1. Cor. 11. allatum. *Omnis vir orans, aut*
prophetans. Namq; ut Ambros. & D. Thom. indicant,
propheta dicitur, qui in ecclesia prophetiam reci-
tat, & edificat.

7. Quinto, adhuc magis Metaphoricè, quoniam
qui prædicunt futura, solent signis, & miraculis ea
confirmare, ipsa opera signorum (præcipue cum fi-
unt in confirmationem alicuius prophetiz iam fa-
ctæ, vel in ostensionem sanctitatis alicuius prophe-
tiz) solent interdum dici prophetia. Ita D. Thom. q.
171. art. 1. ad 1. qui hoc modo intelligit id Ecclesiast.
48. ubi Elifao dicitur, & mortuum prophetauit corpus
eius. Unde additur in vita sua fecit monstra, & in morte
mirabilia operatus est, nam ad tactum corporis eius
mortui corpus aliud reuixit, ut habetur 4. Reg. 13.
sic etiam in Scriptura in eodem sensu Ecclesiast. 49.
dicitur, ossa Iosephi post mortem prophetasse: Nam licet
in Scriptura non legantur miracula per ossa Iosephi
facta, fortasse tamen fecerunt aliqua, vel certe, quia
Ioseph prædixerat. *Deus visitabit vos. Aportate ossa mea.*
Genes. 50. Quod completum est Exod. 13. dicuntur
ossa prophetasse, quia præsentia sua declarabant
dum portabantur, verum fuisse prophetam.

8. Postremo, quia interdum quædam occulta & vsus cum
Angelis addito,

prophetia in
significat
etiam in no-
uo testam.

De hoc ex-
emplo pla-
res congerit
Iustin. Eph. 4.
v. 11

4. vsus me-
taphoricus.

5. vsus magis
metapheticus.

Angeli lucis nobis ostendunt, vel etiam quia Angelus malus transfiguratus se permittit in Deo, & quendam abditam prædicit nunc falsa, nunc vera: ideo, & prophetie nomen extendi etiam solet ad cognitionem, & prædictionem, quæ in tali demonum locutione fundatur, ut notat Hier. in Ezech. 13. Jerem. 23. Osee 4. Et colligitur ex Ezech. 14. Jerem. 2. Est tamen cum eodem Hieron. aduertendum, cum de tali genere prophetie sermo est in Scriptura, semper addi aliquam particulam diminuentem, quæ imperfectionem talis cognitionis ostendat: Nam Osee 9. dicitur. *Propheta stultus, & insanus vir.* Et Jerem. 23. *Viso cordis humani non de ore Domini.* Et Ezech. 13. perhibetur hi, *Prophetare de corde suo*: quare prophetia hæc non simpliciter, sed cum addito falsa prophetia est dicenda.

Authentia
dictum de
prophetia ac-
ceptionibus.

Alia pro-
phetia, aliud
inductus
propheticus.

Adert.

Interpret
Script.

Prædicatione.

Observatio
passiva.

9. Ex quibus omnibus constat, prophetiam in prima acceptione, esse illam, quæ inter gratias gratis datas numeratur, & de qua hic disputamus. Ad quam reuocari potest secunda acceptio: nam ut ex dictis patet, est quasi pars, & membrum prima acceptionis. In tertia vero acceptione, si sumatur ut specialis gratia, ad interpretationem sermonis spectat. In quinta ad operationem virtutum. Quarta vero, & sexta, extra præsentem sunt consideratio, & maiorem: quamuis ad Scripturas intelligendas conferant. Illud vltimo notandum ex D. Th. Aliud esse prophetiam, aliud instinctum propheticum, qui solet etiam aliquando dici prophetia, licet de prophetia perfecta loquamur, illa proprie est donum supernaturale, & gratia gratis data. Ille vero instinctus propheticus, qui multiplex, & varius esse potest, ad prophetiam reuocatur. Quid vero sit, & ad quid conferat, ex dicendis constabit. His positis de nomine prophetie, facile intelligitur, quod sit materia obiectum, & forma prophetie, de qua tractamus.

10. Dico ergo primo. Obiectum formale prophetie cognitionis, est diuina autoritas aliquid reuelans, vel reuelans. Ita D. Thom. 2. 2. quæst. 171. art. 3. ad 1. Et est conclusio de fide certa ex illo Luc. 1. *Locutus est Deus per os Sanctorum, qui a seculo sunt prophetarum, &c.* Et Psal. 44. *Lingua mea calamus scribae velociter scripturus, id est, Spiritus S. iuxta Sanctorum expositionem, & 1. Pet. 1. Spiritus S. inspirati locuti sunt, &c.* Et ad Hebr. 1. *Olim Deus loquens Patribus in prophetis.* Vnde Euseb. lib. 5. demonstrat. Euang. paulo post initium in hoc putat, differre veros, a falsis prophetis, quod illorum cognitio, vel locutio Dei autoritate nitiatur, horum vero minime. Quod etiam constat ex usu Scripturæ; nam omnes, qui non Spiritu S. loquuntur, falsi prophetæ appellantur, ut patet ex paulo ante dictis. Hinc etiam Cassiodor. in præfat. Psalmod. definit prophetiam esse reuelationem diuinam, quæ aduentus rerum immobili veritate præannuntiat. Ratio vero communis est, quia cognitio prophetica est supernaturalis, certa, & infallibilis. Vnde ne esse sit, ut in Deo nitatur. Quæ ratio in sequentibus magis exponetur; ubi etiam explicabimus, qualis debeat esse hæc reuelatio: & quo modo adensus prophetæ Dei autoritate nitatur. Hæc enim intelligi non possunt, nisi simul exponamus, & differentiam fidei a prophetia, & varios prophetie modos.

11. Aduertendum autem est in hac conclusione, licet interdum contingat demonem manifestare occulta quædam vera, quæ homo virtute sua nequit cognoscere, equalia sunt occulta solum propter loci distantiam, nihilominus illam non esse veram, & simpliciter prophetiam, sed falsam potius. Primo quia illa cognitio ex suo genere non fundatur in veritate infallibili, & lumine satis certo, unde non est supernaturalis, sed veluti quædam humarar, & materialis fides, quam quis præbet angelo sibi loquenti per phantasmatum, vel obiectorum sensibilibus apparitionem. Deinde quamvis locutio illa interdum vera sit, quantum ad rem dictam, tamen formaliter

Suarez de Fide.

semper includit mendacium: non solum quia semper fit a demone cum intentione fallendi, aliquando enim vnum verum dicit, ut in multis decipiat, ut Chrysost. ait homil. 19. imperfect. August. lib. 2. quæstion. Euang. q. 40. Sed etiam, & præcipue, quia semper id quod dicit vult teneri tanquam certissimum, & diuina autoritate firmatum, in quo vehementer hominem decipit. Vide D. Thom. 2. 2. q. 172. artic. 6. Vnde e contrario aduertendum est, omnes reuelationes, quæ a sanctis angelis fiunt, propterea ad veram prophetiam pertinere, quia non loquuntur in persona propria; & quæ præsumunt non sua solum autoritate confirmant, sed ut Dei ministri loquuntur, & qui reuelationem accipit, ei assentitur, ut diuinam decet auctoritatem.

12. Dices, etiam si bonus angelus sua autoritate tantum loqueretur, infallibiliter verum esset quod dicit, quia non potest mentiri, cum beatus sit; ergo id erit satis ad obiectum formale prophetie. Respondetur tota assensio nullo modo nitatur diuina reuelatione, erit ex suo genere fallibilis, quia non constat certissime angelos sanctos, ita esse beatos, ut non possint mentiri, nisi ex diuina reuelatione, in quam ut in rationem formalem tota illa assensio vltimate resoluitur; præcipue quia beatus Angelus quod mentiri non possit, ex participatione diuinæ bonitatis, & veritatis, continetur vendicare.

Instantia cō-
tra proxime
dicta tolli-
tur.

12. Dico secundo obiectum materiale prophetie proprie dictæ, est id omne, quod sub diuinam reuelationem cadere potest. Patet conclusio a simili, ex his, quæ alias deinde diximus. Par enim est ratio de reuelatione fidei, & prophetie, cum quia vna restrictior non est quam altera, tum etiam quia de obiecto omnis habitus, & cognitionis verum habet, materiale debere adæquari formali. Dixi tamen prophetie proprie dictæ; quoniam hæc vera sunt, si de prophetia secundum rem ipsam loquamur; At si etymologiam vocis, & frequentem eius usum spectemus, materia eius maxime sunt futura contingentia, ut D. Thom. quæst. 171. articulo 3. & 4. disputat ex Gregorio homilia 1. in Ezech. Chrysostomo præfat. secunda in psalmos circa medium. Euthym. super Ioan. in principio. Beda in præfat. ad psalmos tomo octauo. Et hoc secundo, limitatio modo, vult D. Thom. usurpare prophetiam, prout numeratur inter gratias gratis datas, ac distinguitur a discretionem spirituum, id est, reuelatione cogitationum interiorum cordis, quæ sine dubio formaliter a prophetia non differt, sed ex parte tantum materie vnde obiter intelligitur, quod etiam supra diximus, non oportere omnes gratias gratis datas, essentialiter distingui. Sed satis est, si in ordine ad duos effectus, vel utilitates Ecclesiæ seruantur.

Alfort. 2.

14. At cur etiam non numeratur inter gratias gratis datas, prophetia aliqua, vel supernaturalis cognitio, quæ pertineat ad supernaturalia mysteria, & alias materias? Respondetur, quia hæc raro admodum communicatur in nouo testamento, Paulus autem enumerat gratias, quæ ad Ecclesiæ Christi utilitatem grauis, & communiter dantur. Vnde sermo sapientie, & scientie, & interpretatio sermonum, deferuntur Ecclesiæ, non quidem ad reuelandum noua mysteria, sed ad exponendum, & docendum iam reuelata. Ex quo etiam intelligitur, quod licet res infinitæ possint cadere sub cognitionem propheticam, non tamen necesse sit, omnes actu demonstrari, quando cumque alicui confertur prophetie donum, quia ex Dei voluntate, limitari potest ad quædam, & non ad omnia, quod per se satis constat, & ex exemplo fidei, quæ de finitis numero reuelatis solum est: & communi phrasi Scripturæ affirmantis non omnia Dei prophetas nosse. Vnde cum Luca septimo, pharisæus dicebat. *Hic fessit propheta, scripsit utique, quæ &c.* non recte argumentabatur, ut interpretes quidam obseruant, quia non necessaria consequentia id sequitur;

Quæstioncu-
la suborta
satisfit.

Ita obseruat
Tolet & Mal-
don.

M 2

quitur;

Obiectio co-
tra assert.

Solutio.

quitur: nisi forte interpretetur de propheta per anonomiam: id est de illo, qui erat Messias.

15. Obijciens contra conclusionem: Ex ea sequi res, quæ naturaliter cognosci valent, posse esse materiam prophetiæ: possunt enim à Deo dicto modo revelari: consequens autem videtur contra D. Th. 2. 2. q. 171. art. 3. ad 1. ubi constituit differentiam inter sapientiam scientiam, & prophetiam, quod scilicet illæ priores versantur circa naturaliter cognoscibilia: hæc verò non item. Respondeo, id de possibili concedendum esse, sicut ratio facta convincit, ac de fide concessimus, patet etiam à simili, in scientia per se infusa animæ Christi. Imo de facto interdum id fieri sentit D. Th. d. q. 174. a. 3. & q. 12. de verit. a. 2. ubi planè confirmat ea, quæ de obiecto prophetiæ diximus. In eo vero loco q. 171. solum vult, ordinari Deum non revelare prophetis nisi ea, quæ abscondita sunt lumini naturali: indicat etiam aliam differentiam, quicquid per gratias sermonis sapientia, & scientia, & interpretatio sermonum fit, posse ab aliis fieri naturaliter, ac solum propter quandam peculiarem modum, pertinere ad gratias gratias datus: qui tamen modus non variat actus substantiam, quia non pertinet ad obiectum formale, sed ad quandam perfectionem accidentalem, ut facilitatem, efficaciam, &c. Donum verò prophetia totum est supernaturale, ut ex dicendis paterebit amplius.

SECTIO IV.

Quis, & qualis sit Actus prophetia?

Assert. 1.

Legatur au-
thor lib. 1. de
orat. mentali
c. 19.Probatur 1.
pars assert.Vide sup. dis-
put. 1. sect. 2.
n. 12.Probatur 2.
pars.Vide sup. d.
sect. 5.

Dico primo. Actus prophetiæ est supernaturalis quædam cognitio, in divina reuelatione fundata, à qua locutio vel prædictio prophetica procedit. Conclusio est Divi Thomæ, secunda secundæ, q. 171. articulo primo. Et omnino certa. Circa quam est advertendum, fuisse antiquam hæresim Montani, prophetas in extasi fuisse semper locutos, ita ut non intelligerent, quæ loquerentur: sic refert Eusebius. Hæresis. cap. decimo sexto, & decimo septimo. Unde ex Miltiade, & Apollonio contra hæresim, nonnulla adducit. Eandem impugnat Epiphanius lib. 2. hæres. 48. Et Hieronymus in præfat. Isaie. Prima igitur pars conclusionis, scilicet prophetiam consistere in cognitione, patet ex illo Isaie primo. Visio Isaie quam vidit. Similiter Ezechiel primo. Et Daniel. 1. dicitur Deum dedisse Danieli intellectum omnium visionum, & somniorum. & capite decimo, Intelligentia enim opus est in visione: & propterea olim prophetæ dicebantur videntes 1. Reg. 9. Quod exponit Hieronymus. Osee 12. & Theophylactus. Matt. 11. affirmant appellatos esse videntes, quia occulta videbant, & nuntiabant. Iuxta id Psalm. 50. Incerta, & occulta sapientia tua manifestasti mihi. Et confirmatur. Nam prophetæ in Scriptura dicuntur sapientes. sapientis autem cor (inquit Ecclesiasticus cap. tertio.) intelligitur in sapientia: ore scilicet proferendo. Stulti autem (ut de hæreticis dicitur 1. ad Timoth. 1.) nesciunt quæ loquuntur, neque de quibus affirmant. Ratio clara est, quia prophetiæ donum perficit hominem humano modo, & perfecto: loqui autem sine intelligentia eorum, quæ dicuntur non pertinet ad perfectionem humanam, sed est potius amentium, & somniantium, & aliquando visu rationis carentium. Secunda vero conclusio pars, eam scilicet cognitionem supernaturalem esse, probari potest: primo ex dictis de obiecto eius in præceden. sect. & ex testimonijs Scripturæ paulo autem allatis, in quibus prophetia dicitur donum, & gratia Spiritus S. Secundo, ex dictis à simili, de cognitione fidei, quam supernaturalem esse late ostensum est. Tertio, id clarius constabit ex dicendis.

2. Sed advertendum, non negari à nobis prophetas interdum in extasi, & alienatione à sensibus, recipere propheticas revelationes: nam potius hic

est unus ex perfectioribus modis prophetiæ, ut Augustinus lib. quæstionum super Genes. quæ 8. 10. notat, & videri potest D. Thom. 2. 2. q. 173. art. 3. sed dicimus eos, qui verè prophetæ sunt, etiam in extasi illuminari, vere nihilominus intelligere, quid sibi reveletur, aliàs non essent verè illuminati à Deo, sed tanquam instrumenta mortuæ haberent. Secundo advertendum fieri posse interdum, ut verba prophetæ, aut visio illi demonstra, pluramysteria contineat, quàm ipse intelligentia percipiat, ut quæst. illa art. 4. D. Th. notat, quia cum prophetæ lingua, & mens sint Spiritus S. instrumenta, quæ non adæquant virtutem principalis agentis, non est necesse omnia intelligi à prophetis, quæ Spiritus S. intendit: quavis reuera nemo dicendus sit verus, & proprius propheta, nec donum prophetiæ recipere, nisi circa ea, quæ intelligit: quia, ut dixi, in cæteris sunt eius mens atque lingua quasi instrumenta mortuæ: ut si Deus irrationale animal faceret proferre verba, quæ significarent futurum eventum, verba quidem prophetica prædictionem continerent: illud tamen animal non esset propheta. Ex quo tertio advertendum est cum Augustin. lib. 2. ad Simplicianum quæst. 1. & libro 2. de Genes. ad litteram capite decimo septimo. aliquando efficere Deum, ut quis proferat verba continentia prophetiam, quam ipse, qui proferat non assequitur, sed alium sensum in illis verbis intelligit, ut de Caypha constat, Ioannis vnde cimo. is tamen homo non est verè propheta, nec donum prophetiæ recipit, sed, ut Divus Thomas ait, habet quandam instinctum propheticum, vel potius directionem à Spiritu sancto in sua locutione, quæ sit ut ea proferat verba, & eo modo, quo intentioni Spiritus sancti deferunt, ipse hominè non intelligente. Idem autem simile esset, si Deus cogeret hominem proferre verba prophetica contra eius voluntatem, & intentionem: quomodo refert Iosephus libro 4. antiquit. capite sexto, iuxta Galeni versionem adducens historiam de Balaam, qui vocatus ad maledicendum populo Dei, coactus est illum benedicere. Etiam ipse Balaam, inquit, potentior est Deus, quam mea voluntas, & paulo superius: putas quoties facta sunt aperienda, in nobis situm esse, qui quid dicamus, aut tacemus afflati divino spiritu, ipse voces, quales vult proferat. & oracula, nobis nescientibus, neque cogitantibus. Simile quippiam videre est suo modo, in eo qui divinam visionem recipit, cuius tamen significationem non intelligit, ut patet de Pharaone Genes. 41. & de Nabuchodonosor, Danielis secundo. tamen enim non sunt verè prophetæ, nec habent donum prophetiæ, quia hoc non in apprehensione sensibilibus lignorum, sed potius in cognitione, & supernaturali iudicio significatarum rerum consistit. Unde potius fuerunt prophetæ, Ioseph, & Daniel, qui eorum Regum somnia sunt interpretati, ut Augustin. inquit supra & 12. Genes. ad lit. cap. 9.

3. Dico secundo. Actus, & cognitio prophetiæ certus est, & infallibilis. Ita D. Thomas, citat a quæstione 171. articulo 6. Est de fide, ac patet ex dictis de obiecto formali: nam niscitur divina reuelatione, cui falsum non potest subesse, ut ex dictis supra etiam disputatione tertia constat. Unde D. Thomas quæstione 174. articulo tertio, docet finem prophetiæ esse manifestationem veritatis, super hominem existentem, & Irenæus libro quarto, cap. 42. 43. 52. Vbi hæc late confirmat, & inter alia ait in cap. 43. Prophetia priusquam habeat efficaciam, enigma est hominibus, cum autem evenierit, quod prophetatum est, magnam vim habet ad confirmandum intellectum, & clarè ostendit Deum esse præscium futurorum. Confirmatur. Nam ad hanc certitudinem iudicandâ, sæpe in Scriptura prædictio prophetica de re futura, tanquam præfata, narratur, ut late declarat Epiphanius hæres. 79. & Augustinus. 57. & concione in Psalm. 7. & concione secunda in Psalm. 103. Propter eandem etiam rationem virtutis sæpe Scriptu-

Notatio 2.

Notatio 4.

Assert. 2. de
fide

Vnde probetur.

Confirmatur.